

dicitur, vnde lucis participes fimus, quotquot
in hac lacrymarum valle mortales oberramus. Iam
porro *Rationem, Phantasiam, Memoriam, Intelle-*
ctum hominis, cuius in capite summo sedes, cum
summo Cœlo conferre, etsi à Chymicæ scien-
tiæ officio minime abhorret, nostri tamen in præ-
sens non est instituti. Quæ de Magno illo par-
uoque Mundo dicta sunt, quam apposite etiam de
vegetabilibus ac Mineralibus dici queant, noue-
runt omnes artis filij. Qui Filij Artis, quid faciunt
aliud, quam quod Naturam, optimam Ducem, vt
Cicero ait, bona fide sequantur, cum, vt vulgo no-
uimus omnes, Ars fideliter dirigat, adiuuet, supple-
at, perficiat *Naturam?*

Iuppiter in paruo cum cerneret æthera vitro,

Risit, & ad superos talia dicta dedit:

Huccine mortalis progressa potentia curæ est?

Jam meus in fragili luditur orbe labor,

Inquit non ignobilis Poeta de Sphæra armillari
Archimedis. Quid nos, queis pectora de meliore
luto facta, dicemus, cum spectabimus, *Alcumistam,*
ex eodem subiecto, Artis suæ commonstratione, ac
Naturæ beneficio, quinque illa principia, in paruo

) () (

vitio